

Klem  
517.



Kenns 1517

DE  
SCABIEI SALVBRITE

IN  
ADFFECTIBVS HYDROPICIS  
CASV QVODAM PRACTICO COMPROBATA


---

E DECRETO  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS SOLENNITER CONSEQVENDIS

DIE III SEPT. A. N. C. c<sup>o</sup> IdccLxxvii.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT  
ERNESTVS FRIDERICVS JERZEMBSKI  
SENSBVRGO-PRVSSVS.



HALAE AD SALAM  
LITTERIS STEPHANIANIS.



DE  
SCABIEI SALVBRITATE

IN  
ADPECTIBVS HYDROPICIS  
CLASSE QVODAM PRACTICO COMPROMISSA

PER DECRETUM  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

IN ALMA MEDITERRANEA  
PRO GRADU DOCTORIS

SYMPTOMATUM IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS SOLEMNITER CONSECUTIS

DIE IIII SEPTEBRIS ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

M. L. G. 2

FRIDERICUS DISTRICTVS

ERNESTVS FRIDERICVS HERZEMBRSKI

FRANCOGALICVS

\*\*\*\*\*

HALLAE AD SALTAM

LEONHARDVS STEINHAUER



V I R O.

SVMME. REVERENDO. DOCTISSIMOQVE.

MICHAELI. JERZEMBSKI.

VERBI. DIVINI.

MINISTRO. ET. SENIORI. IN. ECCLESIA. NOVA. LVThERANA.

APVD. MOSCOVIENSES. MERITISSIMO.

FRATRI. SVO. CARISSIMO.

NEC. NON. CAETERIS.

AMICIS. CERTISSIMIS.



V I R O  
HOC. SPECIMEN. INAUGVRALE. PVBLICVM.

IN. TESSERAM. AMICITIAE.

MICHAELI JERZEMBSKI  
INTER. ARDENTISSIMA. VOTA.

PRO. PERENNITATE. SALVTIS.

AMBITRO ET SENIORI IN ECCLIA. NOVA. IVHERANA.

ABAD. MOSCOVENSIS. MERITISSIMO.

FRATRI SVO. CARISSIMO.  
SACRVM. ESSE. VOLVIT.

NEC. NON. CARIS.

AMICIS. CARISSIMIS.  
A. V. C. T. O. R.

ERNESTVS. FRIDERICVS. JERZEMBSKI.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
SCABIEI SALVBRITATE  
IN  
ADFFECTIBVS HYDROPICIS  
CASV QVODAM PRACTICO COMPROBATA.



PROE M I V M.



Cum ex Academiae legibus ad gradum  
Doctoris aspirantes, post examina so-  
lennia, publicum eruditionis suae speci-  
men exhibere, illudque ex cathedra  
academica publice defendere teneantur: nihil huic  
scopo convenientius a me actum iri videbatur,  
quam si speciminis loco inauguralis, casum quem-

A

dam

dam practicum pertractarem, qui mihi in praxi mea medica obveniebat. Quod institutum quoque meum laudavit vir *illustris* atque *excell.* D. D. NIETZKI Med. Prof. Ord. & p. t. Fac. Med. Decanus spectabilis: cuius in me benevolentia grata mente manebit reposita. Maximam ergo laudem merentur illorum virorum conamina, qui artem medicam per observationes, atque alia principia congrua, magis magisque excoluerunt: adeo, ut hoc Apollinis studium ad gradum nunc longe perfectiorem pertingere, & medicus ipse multo solidiore cognitione imbutus strata ægrotantium frequentare possit. Sed quid magis honorabile potest esse medico, quam arte pollere eripiendi hominum vitam e faucibus mortis! Quantus vero observationum practicarum valor sit ad morborum naturam rectius intelligendam, modumque facilius inveniendum, quo in morborum curationibus feliciter procedere licet: extra omne dubium positum esse, quilibet haud difficulter perspiciet. Atque huius quoque loci eum fore puto casum, quem mihi



mihî nunc pro specimine inaugurali pertractandum fumpfi: cuius descriptionem accuratam prius supeditabo, deinde epicrisin eidem subiungam. Quod reliquum est, nihil magis in votis habeo, quam ut conamina mea, vobis lectores benevoli! non displiceant, qua in re annuente divino numine, si spe mea non excidam, beatum me omnino prædicabo. Faxit Deus, ut illa studia, quæ tantum mihi voluptatem attulerant, utilitati quoque publicæ incrementum addant, atque meam in dies augendo cognitionem eorum, quibus cum vivere animus & fors velint, salutem promoveant ac prosperitatem!

§. I.

En itaque historiam morbi! unde argumenti nunc pertractandi nata est occasio. Chiliarcha quidam, sexaginta quinque annos natus, spongiosi habitus corporis, tempore vernali præteriti anni, in pedibus sentiebat dolores, unde partis affectæ evidens debilitas, apparente etiam sensim sensimque tumiditate, totiusque corporis infirmitate. Frustra per undecim integras septimanas partes inferiores fovebat decocto radicum fragariæ cum mica panis, addito oleo olivarum; tunc ut

copiosior excitaretur transpiratio, panes calidos applicandos curavit: unde oedematis orta est diminutio, & ægrotus ambulare conabatur; attamen pluviosa tempestate hydrops inerescebat. Frustra tentatis permultis medicamentis domesticis, ægrotantisque spe decepta, ego tandem ad consilium vocatus fui. Iam vero ægrum ipsum cacochymicum antea novi, qui insuper, uti in regionibus septentrionalibus mos obtinet, pro consuetudine duabus aut tribus vicibus de die spiritus vini usus est. Collectio feri morbosa ad externum habitum corporis intra cellulosam substantiam per totum corpus dispersa fuit; cutis admodum tumida, ut nitorem aliquem præ se ferre videretur; omnis tam sedendi, quam cumbendi meandique facultas deerat, & respiratio admodum erat impedita. Tussi valde excruciabatur, qua materiam pituitosam tam copiose reiecit, ut consanguinei ipsum hæctica laborare crederent. Ingens quoque erat sitis: ad quam leniendam commendaui acida grata e. g. succum mali citri, aurantiorum, una cum vino Gallico bonæ notæ, sed in tam exigua quantitate, ut potius falleret sitim, quam eam plane sedaret. Mane & vesperi frictiones cum pannis perfumatis calidis institui, & semper fasciis stringendos, nocturnoque tempore sacculis, impletis furfuribus calidis, pedes in-

vol-

volvendos curavi. Alimenta digestu faciliora commenda-  
davi, carnes affatas, conditas aromatibus, tribus de die  
vicibus ad parvam portionem, ut solummodo vitam su-  
stineret æger. Ne etiam continuo in stragulis hæreret,  
exercitationes corporis, quantum permittebat debilitas  
virium, ordinavi; quem in finem ei preparari iussi ma-  
chinam ligneam, equum repræsentantem, quo pro lubi-  
tu in conclavi vehebatur. Ut autem materiæ peccan-  
tis eo citus resolutio fieret, tincturæ antimonii tartarifa-  
tæ unciam semis, liquoris terræ foliatæ tartari & li-  
quoris anodyni mineralis Hoffinanni, utrorumque drach-  
mas duas, hæc secum commixta ad quinquaginta guttas  
cum aqua, quatuor vicibus de die ipsi præbui. Alvum  
eius frictam duxi clismatibus emollientibus, compositis  
ex avena, floribus malvæ & sapone; laxantibus, con-  
stantibus ex mannæ Calabrinæ uncia una ac dimidia,  
pulpæ tamarindorum uncia una, foliorum fennæ sine sti-  
pitibus drachmis duabus; colaturæ addidi salis nitri  
drachmam semis. Tandem alternis vicibus diureticis &  
roborantibus usus sum: nimirum scopo diuretico vinum  
squilliticum ex radicem squillæ uncia semis cum vini  
Gallici libris duabus: cuius medicamenti unciam semis  
mane & vesperi assumsit; & scopo roborandi vinum  
chalybeatum, paratum ex limatura martis, cortice pe-



ruviano, radice calami aromatici, cortice aurantiorum, singulis horum ad unciam dimidiam sumptis, atque infusus cum vini Rhenani libris tribus; subiuncta tandem digestionem, ad viginti quatuor horas protracta: huius medicamenti de die unciæ duæ offerebantur. Ad diaphoretica quod attinet: ea non ausus sum in casu applicare, & quidem ideo, quia insignis quædam debilitas in ægro adesse mihi videbatur. Natura autem melior auxiliatrix, elapsis fere tribus septimanis, iam disparente œdemate, copiosissimum sudorem excitavit: ubi simul vehemens pruritus ab ægro percipiebatur; maxime in partibus inferioribus, regione hypogastrica ac spina dorsi, cum scabie ibidem prodeunte. Atque ex eo tempore æger pristinæ sanitati restitutus, res domesticas suas ex voto perficere potuit, atque in hoc bonæ valetudinis statu per integrum annum ita versatus est, ut ne pluviosa quidem tempestas damnum aliquod eidem attulisse videretur. Sed proh dolor! vespertino quodam tempore, mense Februario anni præsentis, dum immane frigus sæviebat, levi vestitu domestico indutus, libero aëri corpus sudans commisit. Mox insequerentur dolores pungentes in pectore, stertores; eventus tandem morbi pessimus, dum spatium trium dierum ægro pereundum erat. Statim etiam post obitum multa loca

ca

ca corporis ad dorsum & pectus nigricantem colorem exhibebant.

§. II.

Nunc iam sequitur, ut ea a me proferantur, quæ ad casus descripti explicationem pertinebunt: Quod negotium ut eo rectius expedire videar: iuvabit principia quædam hoc loco necessaria simul proponere, quæ argumenti huius clariori dilucidationi inservire poterunt. Inter omnes Physiologos constat, sanguinem corporis nostri duabus gaudere partibus constitutivis proximis, sero nimirum & crassamento. Utraque pars non massam homogeneam, sed diverso modo mixtam constituit: in cuius autem mixtionem non ulterius inquirere nunc mihi animus est.

§. III.

Utraque pars necitur copula, non modo solvitur, si venæsectionem institueris, sed etiam in ipso corpore, ita, ut serum in vasa fugiat, quorum diameter exigua est, & sequenti parti rubicundæ viam intercludat. Per hæc vasa arteriosa illa sanguinis pars partim e corpore avolat, partim defertur in telam cellulosam, partim in cavitates colligitur, ubi vario usui est destinata.

§. IV.

## §. IV.

Quæ vero loca irrorat serum, ne inundet, data sunt vasa, quæ illud, quod ibi superfluum, cæterumque haud inutile, iterum ad sanguinem, ceu fontem, unde dimanavit, reducant. Venas autem istas, quæ huic negotio potissimum a natura præfectæ sunt, lymphaticas appellamus. Quæ quidem e tela cellulosa ortæ sunt, per glandulas vero conglobatas traductæ, in ductum thoracicum & cisternam lumbalem hiant. In plurimis corporis nostri locis hæc scrutanti occurrunt. *conf. Ill. HALLERI prim. lin. physiol. §. 53. seqq.* Sed teste eodem *Illustr. auctore l. c. §. 51.* & aliæ venæ a tela cellulosa incipientes, serum in maiorum venarum sanguinem refundunt. Hoc duplex venarum genus, vasa resorbentia ab officio vocarunt Physiologi; quemadmodum arteriosis illis serum plorantibus nomen exhalantium dederunt.

## §. V.

Secundum sanitatis leges, inter exhalantes hæc arterias & resorbentes venas, est perpetua conspiratio, qua fit, ut neutra pars plus alteri advehat, aut revehat: immo exhalantibus cutaneis & pulmonalibus arteriis vel venarum in superficie patularum, vel spongiosæ

giosæ telæ cellulossæ respondet inhalatio. Hanc quidem ex aëre haustum fluidum resorbere, docent diabetes, pondus corporis in aëre humido absque ciborum & potus ingestione auctum: maxime hoc probant exempla hydropicorum, in aëre humido degentium, denique vis contagii.

§. VI.

Si inhalatio nimia est, vel arteriæ plus feri plunt, quam venæ imbibere possunt, aut si in hisce, qualicunque modo hoc acciderit, transitus impeditus est, serum in suo loco stagnat, coacervatur; vasa, telam, cavitatem distendit; tumorem elevat, qui morbus *hydrops* est. Quocum pathologi passim consentiunt; licet ratione enunciationis inter se discrepare videantur.

§. VII.

Pro conditione partium, in quibus adfectio hydropica suboritur: *hydrops* modo *externus*, modo *internus* erit. Vtriusque generis tot sunt species, quot fere partes corporis humani; sed illas recensere tum dissertationis limites, tum institutum prohibent.

§. VIII.

Mearum tamen partium fore puto, ut illæ hydropis species a me explicatius proferantur, quæ ad casum supra descriptum (§. I.) præcipue respiciunt, mihiq; de argumento proposito impræsentiarum differendi occasionem suppeditarunt. Fieri itaque poterit, ut ad universam cutim, qua totum corpus obtegitur, tumor hydropicus, sive hydrops, modo in maiori gradu, modo in minori prodeat. Hinc in casu priore *anasarca*, in posteriore vero *leucophlegmatia* adesse existimatur. Confer. illustr. D. D. NIETZKI Elem. Path. §. 247. Sed iam consideratis iis momentis, quæ in casus descriptione ad §. I. suppeditata prostant, facile erit ad intelligendum, quod æger ibidem descriptus, laboraverit adfectu hydropico, cui *anasarcæ* nomen attribuere licet. Nam exinde apparet, tumorem hydropicum ad externum habitum corporis in conspectum prodiisse, ac per totum corpus adeo dispersum fuisse, ut cutis extensa niteret, omnisque insuper tam sedendi, quam cumbendi, obambulandique potentia in ægro desideraretur. Ex quo luculenter videre licet, maioris gradus tumorem hydropicum hic adfuisse.

§. IX.



§. IX.

Ad morbi huius pleniorē diagnōsin, iuvabit hoc loco proferre sequentia momenta. Ex indole & extensione effectuum satis cognosci poterunt: tumor pallidus, frigidus, quem collectio serī aquosī \*) sub cute elevat; hæc enim facile in oculos incurrunt. E contraria vero parte omnes hydropes interni longe magis difficiles cogniti sunt: præcipue hydrops ovarii, uteri, immo renum. *Vide de HAEN rat. med. part. 7. pag. 140.* Cum anasarca conjuncta sunt materiæ valde pituitosæ cum tussi excretio, urina parca, sitis ingens, impeditaque respiratio, licet ea expeditior sit, quam in ascite, vel thoracis hydrope. Cæterum hic quoque eadem symptomata, quæ in reliquis hydropis speciebus observare licet, locum habebunt.

\*) Recte *van SWIETEN* in *comment. ad aphor. BOERH. §. 125.* serum aquosum appellat, quia purum serum non est, nam igni impositum, pro parte avolat in auras, pro parte vero coagulatur instar albuminis ovi.

§. X.

Ad producendum huncce morbum varia causarum genera valent, quorum præcipua hic enarrare conveniet. Huc pertinet temperamentum ægri phlegmaticum,

ubi habitus corporis laxus, vasa minora, pulsus languidus, corporis torpor & maxima ad dormiendum proclivitas. Huiusmodi quid in ægrotante supra descripto obtinuisse, historia morbi satis clare indicat (§. I.). Eundem quoque censum subeunt diurnæ commorationes in locis palludosis, frequentes corporis bene transpirantis refrigerationes, spiritus vini abusus frequentissimus: pro uti hæc omnia in regionibus septentrionalibus sæpissime admitti solent, atque etiam, teste historia morbi, in casu ad §. I. proposito locum habent. Quibus insuper alia accedunt, ut sunt exempli loco: hæmorrhagiæ effusæ, exanthemata chronica retropulsa, viscerum obstructions, præcipue abdominalium, ortas præ reliquis ex incongrua febrium intermittentium curatione.

### §. XI.

Constantis observationis est, affectibus hydropicis generatim prodesse evacuationes feri congruas. Nam hoc modo serosa colluvies ex corpore proscribitur, ita, ut feri quantitate imminuta, decrescere quoque debeat feri ad loca quædam corporis collecti, ibidemque tumorem producentis, copia. Quo necessario effici poterit, ut tumor hydropicus magis magisque imminuatur, cesset tandem. Ad eiusmodi excretiones pertinet ea, quæ per alvi deiectiones perficitur; siquidem

dem

dem hoc modo insignis quædam feri quantitas ex corpore fecedit. Similiter huc quoque referri merentur largæ lotii missiones; utpote quo excretionis genere fatis notabilis quantitas feri e corpore educitur. Omnium vero maxime hic valebit constans quædam sudatio corporis. Res enim inter medicos iam dudum confecta est, quod scilicet per transpirationem plus feri ex corpore evacuetur, quam per reliquas alias excretionum species. Neque ideo mirandum erit, cur etiam in adfectibus hydropicis scabiei efficacia salutaris esse queat; sicuti idem comprobavit casus ad §. I. prolatus. Poteris enim tibi rem istam sequentem in modum concipere. Scilicet: suborta scabie, adsunt in corporis peripheria externa vesiculæ aut pustulæ prurientes, ex quibus, tanquam ex ulcusculis manantibus serum ferre continuo effluit; talisque effluxus per scaptionem, quam pruritus incommoda ægro frequentissime extorquent, non solum magis augetur, sed etiam fluidis hoc modo ad cutem magis coactis, copiosus sudor sæpe producit. Simili fere ratione se hic quoque res habebit, quam in iis casibus hydropicorum evenire solet, quibus, teste experientia, fidissima illa veritatis magistra, ad pedes œdematosos nonnumquam spontaneæ obortæ erant ruptiones, unde insignis copia feri emanavit, cum mor-

-misti

B 3

bi



bi decremento; nisi forte putrida feri constitutio, aut putredinis, ob liberis aëris externi accessum, maiora augmenta plus damni, quam commodi adferant. Quod si vero contigerit, ut in hydropicis eiusmodi excretiones serosæ languescant aut plane intercipientur; vel etiam copiosæ quidém fieri videantur, nullum tamen tumoris decrementum constans post se trahant: non boni tunc præfagii morbus erit; maxime si viscera simul fuerint læsa. Tunc enim æger vel ob hæticam supervenientem, vel ob aliorum effectuum morbis gravitatem moritur. Frequentissime enim hic oboriri solent suffocationes, perniciosissimæ in partibus internis inflammationes, quæ cito in gangrænam & sphacelum ob feri corruptionem ruunt; inprimis sub concursu causarum externarum, quæ salutare feri excretionem magis impediunt, transpirationem intercipiunt, serumque, quod exhalari debebat, ad loca corporis interiora magis repellunt. Cuius rei documento esse potest casus ad §. I. enarratus. Inde enim constat, ægri sanitatem ad meliorem statum ita iam perductam fuisse, ut per integrum annum rei suæ domesticæ commode præesset, subito vero in peius ruisse, quam primum admitteretur corporis refrigeratio. Tunc enim necesse erat ægro perire partim ob suffocationem, partim etiam ob inflam-

inflammationem pectoris periculosissimam, mox in gangrænam & sphacelum transeuntem, ita, ut intra triduum occumberet æger; conspecto statim post mortem nigricante colore ad dorsum & pectus, tanquam satis certo indicio causæ eventus lethalis modo descripti.

§. XII.

Propositis iis, quæ ad argumenti Theoriam pertinebant, sequitur iam, ut nunc quoque de eiusdem argumenti parte practica differam. Innicitur vero congrua methodus medendi affectibus hydropicis sequentibus indicationibus. I) Serum ad sui faciliorem evacuationem præparetur, præparatumque per congrua loca corporis educatur. II) Symptomata morbi admodum urgentia mitigentur, atque inprimis hoc loco eo respiciendam erit, ne impedimenta liberioris respirationis increpant, sed potius magis removeantur; III) Tonica tandem adhibeantur. Quibus vero indicatis, sive remediis, nunc modo propositis regulis practicis satisfieri queat: verbosius iam iam exponendum erit.

§. XIII.

Aër sit siccus, mediocriter calidus, ut iam SYDENHAMIUS, fidus auctor monuit in *tract. de hydrop.*: dum observavit, hieme & pluviosa tempestate hydropem increpant. Aër hinc ruralis eligendus est, non ita ac urbanus

banus exhalationibus repletus. Alimenta nutrientia & digestu facilia, adeoque vix sicca, modo carnea teneriora, iura exinde parata, vel ipsæ carnes assatæ: condiri vero debent cinnamomo, pipere, vel aliis aromaticis; imprimis hæc initio hydropis non nocent, immo & in debilibus sine calore & febre profunt. Vegetabilia, uti panis bis coctus, iura avenacea, hordeacea, fructus horæi cocti; imprimis horum locum esse in omni quidem hydropo putat TYSSOT *in epist. med. pract.* me vero iudice potissimum in hydropo inveterato, ubi putredo stagnantis vel supponi potest, vel febre se iam monstrat. Potus non satis adhuc determinatus est in hoc puncto curationis, nam eo tempore, quo medicamina resolventia, aut evacuantia proponuntur, potius sit diluens aquosus, vel ille, qui medicamentis respondet & scopo medici sufficit. Quando roborantia usurpantur, potus sit meracior, uti vina rubra, quæ etiam parca dosi alimentis debiliùm hydropicorum addi possunt. De eius quantitate autem parca clamavit ad nostra usque tempora schola medica, præiudiciis sine dubio potius, quam ratione, aut experientia ducta. Effatum hocce non satis determinatum, nec universaliter intelligendum est. Potus sit parvus in hydropo, nullo auxilio minuendo, & perpetuo in deterius tendente; in hoc

hoc

hoc enim casu, potus accumulatur serum aquosum, & morbum adauget. Neque eo tempore, quo remedia roborantia in usum trahuntur largior potus concedendus est; si quid bibendum, vinum rubrum cum aqua dilutum propinari potest. Potus e contrario sit abundans, saltem non solito parcior, quando resolventia adhibentur; si enim in hoc casu victus siccus sit, obstructi materię maior additur tenacitas, & stagnantes humores viscidiores atque resorptioni ineptiores redduntur. Tempore evacuationis, quando imprimis diuretica hydropico dantur, & optatum effectum producant, multus tunc simul ingestus potus stagnantes humores blandiores reddit, diluit & attenuat, quo facilius a bibulis venis resorbeantur. In hydrope inveterato præfertim hoc monitum attendendum est, ubi humores stagnatione acres & viscidi resorberi nequeunt, aquę minerales laudantur. *Confer. van SWIETEN l. c.* Somnus & quies, cum sint status corporis motui oppositi, necessario etiam effectum in morbi favorem producant: ideo non piger sit hydropicus, nec continuo in stragulis lecti sepultus, qualis mala consuetudo in nosocomis publicis est. Motus vero & exercitationes corporis, quantum permittant debiles ægri vires, suadendus; quem enim latet, motum faciliorem reddere sangu-

guificationem, augere circulum, hinc etiam se- & excretiones corporis promovere. Exerceri potest corpus, si id permiserit hydropici conditio, deambulando, succussu in rheda, in equo, vel assere, quippe qui motus equitationi substitui potest. Eiusmodi regimen imprimis convenit hydropicis ex scorbuto, vita sedentaria, obstructione viscerum, sub usu diureticorum.

#### §. XXIV.

Sed a diæticis nunc etiam ad remedia pharmaceutica progredior; quorum usus secundum indicationes supra propositas (§. XII.) in adfectibus hydropicis proficiuus erit. Resolventia præmitti possunt reliquæ medicationi, ubi per unum alterumque diem hæc sola sumpsit æger, tunc per vices & evacuantia adhibenda sunt. Hæc magni momenti indicatio imprimis in obstructionibus viscerum, & quando stagnantes viscerum humores evacuantibus difficulter moventur, locum habebit. Coniungi demum potest utraque medicina; siquidem hoc modo & maiorem resolutionem, & excretionem maiorem producere licebit. Quo fine adhiberi poterunt, præter remedia, in morbi historia iam indicata, alia iisdem similia; quorsum exempli loco esse poterunt sequentia. Recipe: liqu. terræ fol. tart. unc. femis.



femis. sal. tart. tartarifat. Pulv. Rhab. el. ana drach. tres. Infund. cum aqu. font. f. q. sæpius usurpetur cochleatim. Neque minus in usum hic vocentur tincturæ alcal. saponat. cum spir. nitr. dulc. variisque roborantibus remixtæ. Quoad evacuantia, hæc iam ab initio morbi utilia sunt, præcipue catarrhtica, ut alia remedia eo efficaciora esse possint: præsertim in robustis, & ubi vires nec per durationem morbi, nec per ægroti ætatem fractæ sunt. Sæpius in dicto casu ad hæc remedia recurrendum est, ut cum his alternatim præbeantur diuretica, vel alia morbi genio accommodata pharmaca. Fortiora sunt e. g. Rad. Jalap. drachma una cum saccharo trit. *Perill.* van SWIETEN l. c. duplici in exemplo cum successu Rad. Jalap. scrupulos duos, turp. miner. grana quatuor usurpavit. Vel paretur emulsio ex Res. Jalap. granis octo, amygd. dulc. ex-cort. drachma una, terantur cum aquæ fl. acaciæ unc. una: sive pulv. ex diagr. granis octo & Rh. el. scrupulis duobus. Vel infusum sequens. Rec. Fol. S. S. S. drachm. duas, rh. el. Salis polychresti ana drach. dimid. passul. min. drachm. duas, pulp. tamarind. unc. unam & dimid. sem. coriandri scrupul. unum. Coqu. & filtr. Infantes mitioribus tractari debent, his syrampus e spina cervina ad effectum propinari debet. TISSOT etiam



non dubitat præbere resinæ Jalap. grana duo in emulsi-  
sione subacta. Clysteres emollientes, carminativi, imo  
etiam stimulantés maximi hic erunt usus, atque ibi  
numquam negligendi, quando difficultates respirandi in-  
crescere videntur.

### §. XV.

Diuretica potissimum antihydrica dicenda: de  
his notandum, quod hydrops imprimis proventus eo-  
rum usum maximopere postulet. Si debilitas virium  
ægri valida purgantia haud ferre potest, hac de causâ  
sæpe purgantia respuere SYDENHAMIVS & diuresin  
magis excitare solebat: cum purgantibus in casu, ubi  
hæc admittuntur, alternari possunt; siquidem intestina  
flaccida sæpe ad stimulum purgantium silent. Medica-  
mina acri volatili principio prædita, præ reliquis usur-  
panda in hydrope absque calore & febre. Quem in  
finem ab illo commendatur infusum lixiviosum ex cine-  
ribus officinalibus, ut stipit. fabar. unciis tribus, cum  
vini albi libra una, digestionè præmissâ, coletur: cuius in-  
fusi unciaë duæ quotidie ter, quaterve sumendæ. Vel  
etiam Rec. Roob. Juniper. unc. duas, spirit. nitr. dulc.  
unc. dimid. de quo singulis tribus horis unciaë duæ  
sumantur. Succo corticis externi rapæ amicus qui-  
dam

dam curavit militem asciticum, & post paracenthesin, eductis aquis, implevit cavitatem abdominis vino rubro, ne solida tonum amitterent, pro lubitu hunc succum ingerebat, in dies magis hydropem decrescere videbat, & funditus sanabat. Squillitica maximam reportarunt laudem in hydrope: dantur hæc in refracta dosi, sensim adaucta; nam usus eius nimis largus vires debilitat. Semper vero in tanta quantitate usurpatur, ut ægro nauseam, non vomitum, crearet: SWIETENIO signum fuit salutaris eius efficaciam. Dari potest hoc remedium sub forma vini medicati, ut iam in historia morbi dictum erat. Parare inde etiam licebit pilulas cum gummi ammoniaco: eadem servata cautione, ne vomitus excitetur. Quibus insuper addi poterunt decocta parata ex radicibus & feminibus diureticis, additis salibus resolventibus. Infantibus similia dictis, dosi ætati conveniente porriguntur, uti oxymel squilliticum, parva sed frequenti dosi. Regimen denique sub usu diureticorum sit motus in rheda.

§. XVI.

Ad roborantia, sive tonica iam venio. Interiici hæc debent aliis evacuantibus, si vires ægrorum illis

frangantur, & evacuationis continuatum usum sufferre nequeant. Sic *perill. van* SWIETEN l. c. evacuatione ante meridiem peracta, post meridiem roborantia dari curavit: id quod etiam utile expertus sum in ægroto supra allato. Quo scopo adhibere conveniet vinum chalybeatum, ita parandum: Rec. Limatur. mart. Cort. Peruv. rad. calam. aromat. ana unc. dimid. Infund. in vin. Rhenani vel Gall. libr. tribus, diger. per vigint. quatuor. hor. unde bis vel ter de die unc. duæ sumuntur. Vel: Rec. pulv. lim. mart. cum saccharo & Cinammom. ana scrupulum unum. Dosis: scrupulus unus de die aliquoties. Vel: Rec. Cort. Peruv. aur. infund. c. cerevisia, adde hb. abs. cent. min. raphan. rust. ana unc. dimid.

### §. XVII.

Quoniam ope transpirationis maxima feri quantitas e corpore evacuari potest: hinc omnino huius quoque excretionis rationem habere oportebit medentes adfectibus hydropicis. Sed incongruum foret, statim sub initio morbi valida diaphoretica adhibere; tunc enim omnia non solum incassum irent, sed etiam hydropico maximopere nocerent. Nam quis est, qui ignoret, quam difficulter sudor in hydropicis prodeat, & summa

summa vi coactus in iisdem intolerabiles fere inquietudines concitet, sæpiusque perniciosas in iisdem accendat inflammationes? Quare hic opus erit, ut resolutivum longus usus antea præmitatur; ut ita feri, per transpirationem evacuandi, prævia præparatione sufficiente, hæc salutaris excretio vel sponte subsequatur, prout factum est in casu supra proposito, vel dato leni diaphoretico adiuvetur. Per se patet, omnia tunc accurate observanda esse, quæ ad regimen vitæ externum spectant: qualia e. g. sunt: ut ab ægro omne frigus externum arceatur, ut aëre temperate calido utatur, ut in eodem lenes frictiones cum pannis calidis laneis frequenter instituantur, et. f. p.

§. XVIII.

Ad remedia vero chirurgica, quæ ad curationem affectuum hydropicorum adhiberi solent, quod attinet: eorum quoque commemorationem aliquam argumenti præsentis tractatio sibi vindicare videtur. Decrecente tumore hydropico, conveniet ad hocce decrementum tumoris magis accelerandum, partibus affectis fascias applicare, easque de die in diem magis stringere. Cavendum tamen est, ne quid nimis hic fiat; alias enim istud remedii genus ægro admodum fit nocivum, productis

ductis in eodem vel respirandi difficultatibus, vel etiam inflammationibus. In tumoribus plane refractariis, uti fieri solet, sero extravasato atque intra cavitates corporis coacervato, statuque ægrotantis iam ad summa pericula perducto, paracenthesis instituenda erit. Attendere hic omnino oportebit ad locorum affectorum conditiones; ut inde intelligatur, an operatio ista in casu admitti possit. Nam nimis temerarium foret, in hydrope pericardii paracenthesin instituere velle. Sæpe etiam vidi in nosocomiis Argentoratensibus & Parisinis permultis hydropicis, ut serum evacuaretur, pedes sub planta scalpello incisos, aut ibidem, vel ad furas vesicatoria applicata fuisse. Sed mox pessimus effectus inde sequebatur: dum miseris gangræna sphaceloque pereundum erat.

### §. XIX.

Inter hæc omnia conamina practica, eo respiciendum hic semper erit, ut subortis in morbo symptomatibus quibusdam gravibus tempeffive occurratur, omnisque opera detur, ut interposito congruorum remedium usu, illa aut iminuantur aut plane tollantur. Præsertim hoc loco omne studium adhibendum erit, ut respirandi difficultates præcaveantur, aut iam præsen-  
tes

tes removeantur; immo etiam inflammationum ortus impediatur. Qua de causa tunc conveniet eas excretiones magis promovere, quæ efficacix derivantis sunt, ut clysterum usus; frictions partium inferiorum; ægro dare specifica contra catarrhi suffocativi insultus, quorum præ aliis pertinebit sulphur antim. aurat. tertiæ præcipitationis; tandemque diaphoresin movere, motus febriles exacerbatos temperare; & quæ alia forent pro rerum in ægotante circumstantium conditione.

§. XX.

Hæc sunt, quæ de adfectibus hydropicis & modo eos sanandi, speciminis loco Academici in medium proferre erat animus. Finem igitur differendi iam facio B. L. quæ si haud satisfecerint tibi, quæ delibavi, inde occasionem sumas, expeto, tua adiciendi, intertexendi, remque perficiendi; ut in hominum salutem, cuius cura medicos præcipue attinet, quicumque nostri labores dirigantur.



D

Qui-



Quibus insuper theses aliquas ideo mihi subiungere placuit ut opponentibus contra me in conflictu publico disputatorio argumentandi uberio rem suppeditare videar occasionem.

THESIS I.

Natura optima morborum medicatrix.

THESIS II.

Hydropicis alvum movere cibo melius est, quam medicamentis.

THESIS III.

Non debent in chirurgia retardari operationes necessariae.

THESIS IV.

Summa cautione opus est circa vesicatoriorum applicationem ad loca dolentia.

THESIS V.

Neque satietas, neque fames, neque aliud quicquam bonum, quod supra naturae modum fuerit.

THESIS VI.

Bis de die, aut plus, potius quam semel, cibum capere potest homo sanus, dum modo hunc concoquat.









1078

PCA





DE  
SCABIEI SALVBRITATE

IN  
ADFFECTIBVS HYDROPICIS  
CASV QVODAM PRACTICO COMPROBATA

E DECRETO

GRA

AE

PRO

RIS

SVMMISQV

VILEGIIS

DOC

IS

ERNES

BSKI

